

sit undique simile. Si enim est aqua totum vel ignis, vel quid vis aliud tale, nihil vetat plura dicere illius entis unius partes. Neque oportuit ea adferre, quae ad modum corporum pertinent et transformationem et alterationem: quando nullum de rebus talibus
5 Xenophanes habuit sermonem, quando Deo unitatem, aeternitatem, infinitatem, immobilitatem, impassibilitatem, ut ipsemet postea Aristoteles adstruxit, attribueret.

Ocii nimium videtur ei fuisse, cum talia comminisceretur et scriberet, negotii minimum ad philosophicam veritatem atque
10 ingenuitatem, quam tantopere amare est professus, ut sua etiam pro veritatis salute destruere fuerit paratus. Sed id verbis dixit, opere autem ipso Xenophanis veritatem falsis criminationibus obruere est conatus. Sententia et dogmatibus cum idem sentiret, verbis atque argutationibus dissentire videri voluit idque
15 praeter omnem necessitatem. Neque enim rationi ingenuae persuadent satis Philoponus ac Simplicius, eius hac in re non tam expositores, quam excusatores, dum aiunt: Aristotelem apparentia in dictis antiquorum tantum non res ipsas, non dogmata refellere voluisse: quia videret aliquos persuasos entia omnia
20 unam rem esse. Si id ita est, ocio nimio Aristoteles fruebatur, cum tam caeca ingenia misertus, ne periculum in tali opinione subirent, sui nominis periculo opem tulit. Sed si id verum non est, quid aliud videtur dicendum, quam vel in eos viros vel in veritatem odio id eum fecisse? Odium sane in eos prodit agrestitas, balbuties, puerilitas, simplicitas, inconsideratio, stoliditas,
25 ignorantia, insania illis passim obtrectata, veritatis obscurandae studium: aperit haec Xenophanis dogmatum de Deo praeter ius fasque omne detorta ac falsa criminatio. Prodent idem studium manifesto, quae in Zenonem, Parmenidem, Melissum theologos
30 sunt obiecta.